



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

343. Dominica I. Adventûs. De causis Incarnationis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

616 *Sabbato Domin. 24. post Pentecost.*  
Bernard. supra Salv. Regio. *Convenienter  
vocatur Mater misericordie, quod divina pietatis  
abyssum, cui vult, & quando vult, & quomodo  
vult, creditur aperire, ut qui vis enormis peccator  
non pereat, cum Sancta Sanctorum patrocinijs  
suis suffragia prestat.*

*Conf. 2.* Duos esse modos flecendi B. Vir-  
ginem ad hanc gratiam salutis impetrandā,  
vel per unum aliquem actum heroicum  
Virtutis, vel per multos remissos & frequen-  
tatos. Tutiora sequens in utroque me exer-  
cebo. Ita Didac. de Rosis de Cultu B. Virg.

*Conf. 3.* Verba D. Bonaventurae, in Spe-  
culo Virg. ita de B. Virgine loquentis: *Qui  
habuerit characterem ejus, notabitur in Libro  
Vite, Characteres D. Virg sunt Virtutes ejus,  
de quibus hactenus actum est singulis ferme  
Sabbatis, quas statuam amplius imitari.*

### MEDITATIO CCCXLIII.

#### Dominica I. Adventus.

##### *De causis Incarnationis.*

**R**espiciam, & levabo caput & cor meum,  
ducēque Spiritu Domini subibo conci-  
lium coeleste, in quo agitur de Redemptione  
mea. Petam humillimè causas Incarnationis  
agnoscere.

*Conf. 1.* Infelicem generis humani à primo  
lapsu statum; nam quod tempus, quis locus,  
que

quæ gens, quis status, quæ ætas, quod officium, quod membrum corporis, quæ potentia in nobis, & à nobis non sunt foedata? Cælum idolis, terram direptione, mare avaritia, aërem blasphemijs, palatia luxu & fastu, casas pauperum querelis, tribunalia iniquitate, scholas heresibus, religionem hypocrisis & superstitione contaminatã Sol est inmicus, cælum & terra ingemuerunt. Et sicut lapis vi suã non potest sursum agi, sic nemo viribus naturæ à ruina æterna evadere potuit. Fuit itaque motivum principale Incarnationis divinæ, commiseratio Dei erga hominem lapsum, ut remedium ferret peccato. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exsurgam, dicit Dominus, Psal. II. De solio meo querere, & salvum facere quod perierat. Est enim ea natura Amoris, ut in misertis videre non possit, quem amat.*

*Conf. 2.* Alias causas, ut idem esset Redemptor, qui Creator, ut familiarius ab homine diligeretur Deus, ut reficeretur oculus cordis in Divinitate, oculus corporis in humanitate, ita Hugo Victorinus lib. Sentent. Sed neque decuit à creatura tale bonum fieri homini, quò majus nõ posset præstare Deus, quia tria sunt, quibus Deus non potest melius facere, se, Christum, & Visionem Dei, quam per Redemptionem consequimur. *Aliam*

618 *Feria 2. Domin. 1. Adventûs.*

Aliam causam addit S. Augustinus ser. 26. de Temp. *Vt haberet homo, & quem videret, & quem sequeretur Deus factus est homo.*

*Conf. 3.* Verba S. Chrysol. serm. 23. *Tibi totum factus est, qui fecerat totum, & qui sibi nunquam tibi toties mutatur etiam in Venerabili. Petam immutari vicissim, & induere D. JESVM Christum.*

MEDITATIO CXCXLIV.

*Feria 2. Domin. 1. Adventûs.*

*De decreto Incarnationis.*

**A**udiam concilij cœlestis decretum: *Ut haberet homo, & quem videret, & quem sequeretur Deus factus est homo. Petam magis agnoscere, quomodo Verbum Patris obsequatur Patri Eterno.*

*Conf. 1* Quomodo Verbum Dei partim commiseratione nostri, partim ad satisfaciendum Justitiæ divinæ permotum sit, ut se ad naturam nostram assumendam resolveret, quia Redemptor, nisi esset Deus, non daret satisfactionem tam grandis pretij, quæ debebatur Justitiæ divinæ, & idem Redemptor; nisi esset Homo, non posset salutem operari, neque pati aut mori. Et Deus igitur & Homo esse debuit, qui miseriæ nostræ opem ferret.

*Conf. 2.* Non defuisse omniscio, & omnipotentij